LVNÆ DIE 12 M. APRILIS A. 2010

Pridie Idus Apriles a. MMX

155

MELISSA

Folia perenni Latinitati dicata

Avspiciis Domvs Erasmianæ et Academiæ Latinitati Fovendæ

Sexies in anno edita

Editor responsalis
Gaius Licoppe

Redactrix
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / http://web.me.com/fundatiomelissa

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P701451

AD LECTOREM

DE DIE FEMINÆ DICATO

Die 8 mensis Martii quotannis celebratur « Mundanus dies feminæ dicatus ». Cum non exstet « Mundanus dies viro dicatus », quærendum esse visum est cur sola femina curetur. ¶ Occidentalibus civibus XXI sæculi æqualitas iurum et condicionis virorum et feminarum est notio evidens, sed recordemur oportet hunc esse effectum recentis mutationis. ¶ Usque ad recentissima tempora in orbe christiano valuit notio inferioris naturæ feminæ, quæ religione confirmatur ; leguntur enim in Genesi hæc Dei verba ad Evam dicta : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos ; in dolore paries filios et ad virum tuum erit appetitus tuus, ipse autem dominabitur tui. » Res non mutatur in Novo Testamento ; leguntur enim in Pauli prima epistula ad Corinthios (II) hæc : « ... omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus » et hæc : « Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago et gloria est Dei ; mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro ; etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. » ¶ Inde factum est ut per multa sæcula feminæ a muneribus publicis excluderentur et parum erudirentur, sed solum liberos et domum curarent. Leges, quibus feminæ in dicione sive patris, sive mariti tenebantur, a solis viris condebantur in suum ipsorum commodum. ¶ Sparsim in historia reperiuntur nomina nonnullarum egregiarum feminarum, quæ tamen pertinent ad ordinem regentium, ubi non vigent leges. His tamen paucis monstratur naturam femininam in regendo virili inferiorem non esse. ¶ Usque ad finem Veteris Regiminis dominantur nobiles, præsertim nobiles ensiferi, qui nobiles stolatos auctoritate præcedunt. Cum feminarum corporeæ vires minores sint quam eæ virorum, a tractatione armorum, præsertim non ignivomorum, excluduntur. De legibus tractant nobiles stolati ; legibus studere solum licet viris. Item in Ecclesia catholica, ubi solum viri potestatem habent. ¶ Primum conamen ad feminas liberandas evenit XVIII sæculo exeunte inter magnam rerum eversionem in Francogallia, ad quam faciendam non parvam operam dant feminæ. Inter has Maria-Olympia de Gouges anno 1791 edit librum c.t. *Declaratio iurum feminæ civilis ;* [1] hoc ei non prodest, nam securi Guillotini paulo post obtruncatur. ¶ Motus feministicus vere oritur florente ætate industriali, ac tunc magis magisque amplificatur ; eius tamen effectus lentissimi sunt. Feminæ propugnatrices sæpe repulsas patiuntur et plerumque irrisui sunt viris, qui regiminis habenas tenent. ¶ In Magna Britannia usque ad medium XIX sæculum solæ burgensium puellæ erudiuntur, et quidem domi ; eis neque materiæ scientificæ, neque linguæ Latina et Græca inculcantur. Anno 1869 tandem Elisabetha Blackwell fit prima femina quæ ut medica recipiatur in Magna Britannia ; studia vero ibi non fecit, sed in Americæ Civitatibus Unitis, ubi anno 1849 prima femina est, quæ diploma medicinæ obtineat. ¶ In Francogallia solum posteriore dimidia parte XIX sæculi creantur scholæ puellis destinatæ, in quibus tamen solum docentur materiæ, quæ videntur feminis aptæ. Tantum ab anno 1880 accessus ad studia universitaria eis conceditur. ¶ In orbe Occidentali non ante anteriorem dimidiam XX sæculi partem feminis licet suffragia ferre et eligi. In posteriore demum dimidia parte eiusdem sæculi, tota autonomia iuridica fruuntur et præsertim compotes fiunt sui corporis et partus ; sic tandem veræ cives factæ sunt. Ætas industrialis huic mutationi favit ; nam vim corpoream, qua præcellunt viri, magis magisque inutilem fecit vis motoria ; contra semper maioris momenti fit intelligentia, quæ feminis et viris æque inest. ¶ Longe autem abest ut Occidentalium feminarum condicione fruantur feminæ in maxima orbis terrarum parte ; ibi enim adhuc sunt virorum servæ atque invitæ Terram opprimunt infinita prole. Ad eas præsertim spectat « Mundanus dies feminæ dicatus », etiam si nostrates dolere pergunt de inæquali salario. ¶ In orbe Occidentali iam non sunt rixæ inter cives variarum religionum ; catholici, protestantes, Iudæi, agnostici et alii commiscentur, quisque sine cura alterius religionis. Contra mahumetanorum præsentia difficile accipitur, præsertim quia apud eos feminæ nondum sunt liberatæ. ¶ Plerumque putamus id quod credimus tam evidens esse, ut quisque rationalis idem sua sponte credat. Nolimus autem longum iter oblivisci, quod nobis necessarium fuit ad statum hodiernum adipiscendum ; mirandum non est, si immigrantes e regionibus oriundi, ubi adhuc vigent vitæ condiciones mediævales, non statim idem sentiant ac nos. ¶ Ad concludendum dicam feminarum liberationem in toto orbe terrarum certe esse œcologicam rationem maioris momenti, qua Terra servetur. ☙

G. LICOPPE

---

1. *Déclaration des droits de la femme et de la citoyenne.* Hoc in Latinum exacte verti non potest, cum nullum vocabulum exstet ad *citoyenne* designandam ; civis enim in lingua antiqua est masculini generis et solum virum designat.

VENDITIO QVÆDAM

– auctore Vidone de Maupassant, [1] *interprete Erico Palmén –*

Duo viri, Brument (Césaire-Isidore) et Cornu (Prosper-Napoléon) appellati, in tribunal Sequanæ Inferioris advenerunt accusati, quod mulierem Brument, coniugem legitimam illius in aquam immergendo interficere conati essent.

Ambo in toro traditionali reorum sedent, duo rustici, alter iuxta alterum. Ille pusillus et crassus est, brevibus bracchiis brevibusque cruribus, capite rotundo et rubicundo cum crebris papulis, quod velut implantatum videtur in statura pariter rotunda et brevi, collo omnino deficiente. Educator est porcorum habitatque in *Cacheville-la-Goupil,* qui fundus est pars tribus Criquetotianæ.

Cornu (Prosper-Napoléon) vir tenuis est et strabo, mediocri statura bracchiisque extra modum longis, capite obliquo, pravo mento. Thoraculus cæruleus, longitudine camisiæ, in genibus eius pendet, rarique capilli in capite fixi vultum eius turpant. « Dominus ecclesiæ » cognominatus est, quia cantiones ecclesiasticas atque etiam sibilum serpentis eximie voce sua scit imitari. Hac arte in cauponam suam – caupo enim Criquetotianus est – magnam multitudinem clientium attrahit, qui « missam » Cornui quam bono Deo celebrare malunt.

Matrona Brument, in toro testium sedens, tenuis est muliercula rustica, adeo somnolenta, ut continenter dormire videatur. Rigida ibi sedet, compressis manibus genua tegens, stupido vultu ante se intuens.

Iudex hos interrogare pergit:

– Ergo, mulier Brument, isti in domum tuam venerunt et te in dolium aquæ plenum intruserunt. Fac nobis ad unum omnia, quæ facta sunt, exacte referas. Surgas quæso.

Surgit illa. Procera videbatur velut malus navis, in capite galerum albæ calyptræ fere similem gerens. Tædiosa voce referre incipit :

– Egomet fabas purgabam. Tunc ipsum isti intrant. Mihi dico : « Quidnam isti in animo habent ? Normali aspectu non sunt, aliquid meditantur mali. » Hoc modo me intuebantur oblique, præsertim Cornu, cum sit strabo. Mihi omnino non placet eos una videre. Mutua mala societate etiam peiores redduntur. Dico iis : « Quid me vultis ? » Non responderunt. Mala suspicari cœpi...

Brument reus testem interpellans vehementer declarat :

– Ego madidus eram.

Tum Cornu ad socium facinoris conversus voce profunda velut ex adytis organi proveniente declarat :

– Dic nos ambos madidos fuisse ! Id confitens nequaquam mentiris.

Iudex (severa voce) : – Dicere vultis vos ebrios fuisse ?

Brument : – In eo nihil est mirabile.

Cornu : – Ita cuilibet accidere potest.

Iudex (victimæ) : – Referre pergas, mulier Brument.

– Agedum, Brument est, qui mi dicit : « Visne centum solidos lucrari ? » « Volo », inquam – neque enim centum solidi ubivis reperiuntur. Tum mihi dicit : « Oculum aperi et age sicut ego ago. », et ad arcessendum illud dolium diruptum abit ab angulo, ubi sub stillicidio stabat. Dein id invertit et dein in culinam meam apportat et in ipso medio ponit et dein mi dicit : « Vade et arcesse aquæ tantum ut plenum fiat. » Vado igitur ad lacum cum duabus situlis et aquam apporto et iterum aquam apporto. Hora ibi consumitur, nam dolium illud erat velut grande receptaculum vini, si venia sit verbo, domine præses. Interea Brument et Cornu pocula exhauriebant et dein denuo pocula exhauriebant et deinde iterum pocula exhauriebant. Alter alterum instigabant, et ego eis dixi : « Nunc vos plenissimi estis, pleniores quam hoc dolium. » Et hic Brument mi respondet : « Noli curare, tuas res age ; opperire quoad voceris ; suæ cuique partes obtingent. » Neglego istius nugis aures præbere, cum etiam madidus esset. » Cum dolium usque ad summos margines plenum esset, dico : « Ecce confectum. » Et Cornu est, qui mihi centum solidos dat. Non est Brument, sed Cornu ; Cornu est, qui eos mihi dedit. Et Brument mihi dicit : « Visne iterum centum solidos lucrari ? » « Certe volo », inquam ; neque enim tantis muneribus assueta eram. Tum mihi dicit : « Exue te ! » « Quid ? Ut me exuam ? » « Ita, ita mi dicit. » « Quantum vis ut exuam ? » Dicit mihi : « Si suppudet te omnia exuere, licet sane ut camisiam retineas ; nostra non tanti refert. » Centum solidi sunt centum solidi ; ideo ego me exuere incipio, sed mihi non placebat me exuere coram istis improbis. Exuo galerum meum, dein pallam, dein tunicam et dein calceos ligneos. Brument mihi dicit : « Etiam tibialia non necesse est exuere ; nosmet sumus bellissimi sodales. » Et Cornu repetit : « Nosmet sumus bellissimi sodales. » Ecce ego ibi sto prope ita vestita ut olim mater nostra Eva. Et hi titubantes surgunt nec iam valebant pedibus stare, cum tantopere essent madidi, si venia sit verbo, domine præses ! Mecum reputabam : « Quidnam isti nunc meditantur ? » Et Brument dicit : « Ecce mulier. » Dicit Cornu : « Ecce mulier. » Et deinde mihi manus inferunt. Brument caput, Cornu pedes retinet, proinde ac – quomodo id dicam ? – proinde ac si linteum quatere vellent. Tum ego clamare incipio. Et Brument mihi dicit : « Tace, misera muliercula ! » Ac me bracchiis tol-

lunt et in dolium intrudunt aquæ plenum, et mihi sanguis circumfluere desiit et usque ad viscera gelu horrere cœpi. Et Brument dicit : « Iam satis est ? » Dicit Cornu : « Iam satis est. » Dicit Brument : « Caput ibi nondum inest ; etiam id in metiendo observari oportet. » Dicit Cornu : « Ergo etiam caput eo intrudatur. » Et Brument caput meum deorsum premit, prope me omnem in aquam immergens, et mihi nares aqua complentur et iam Paradisum videre cœpi. Et iste caput meum magis deorsum premere pergit. Et ego iam omnis aqua suffocabar... Et deinde repente extimescit – ita necesse est factum sit. Me inde extrahit et mihi dicit : « Abi cito ossa tua siccare ! » Ego fugæ me mando et ad dominum ecclesiæ accurro, et is mihi tunicam ancillæ suæ commodat – vide, ego enim in statu omnino naturali eram – et inde ad arcessendum honorabilem Chicotum, biocolytam rusticum currit. Hic vigiles armatos Criquetotianos arcessit, qui mecum domum meam veniunt. Ibi Brument et Cornu alter alterum tundunt et feriunt velut duo arietes vesani. Brument clamabat : « Istud non est verum ! Saltem metrum cubicum est. Fallit tua metiendi ratio ! » Clamabat Cornu : « Quattuor situlæ ne dimidium quidem cubicum faciunt. Non tibi opus est denuo metiri ; ecce quod istic est ! » Præfectus biocolytarum eos ambos deprehendit. Nihil ego facere potui.

Assedit illa. Omnes, qui in tribunali aderant, cachinnum sustulerunt. Iudices iurati obstupefacti alius alium spectabant. Dixit præses :

– Tu, accusate Cornu, auctor videris esse harum insidiarum turpissimarum. Quid dicis ?

Surrexit tunc Cornu :

– Domine præses, nosmet madidi eramus.

Respondit præses severus :

– Id iam cognovi. Perge !

– Pergo. Ergo : Brument in cauponam meam venit hora circiter nona et duo pocula vini ad se afferri iussit et mihi dixit : « Ecce tibi quoque, Cornu ! » Et ego iuxta eum sedeo facie faciem observante et, ut humanum me præstem, alterum poculum ei præbeo. Deinde alternis vicibus pocula nobis præbebamus ita, ut ante meridiem paullatim ebrietate caperemur. Tum Brument ubertim lacrimare cœpit, quod me valde commovit. Quæsivi, quo dolore premeretur. Is mihi dixit : « Necessario mihi opus est ante Iovis diem mille francos acquirere. » Gelido horrore affectus sum – id, opinor, intellegis. Et deinde is mihi omissis ambagibus consilium suum proponit : « Tibi uxorem meam vendo. » Ego madidus eram et viduus sum. Certe intellegis talem condicionem me velut e somno excussisse. Nequaquam noveram uxorem eius, sed femina... nonne femina semper est femina ? Quæro ab eo : « Quanto pretio mihi eam vendis ? » Deliberabat Brument aut simulabat se deliberare. Nequit enim ebrius esse sobrius ; ergo mihi respondet : « Uxorem tibi vendo capacitatem eius metris cubicis metiendo. » Nequaquam me stupore affecit, nam pariter madidus eram atque ille, et professione mea doctus bene scio, quid sit metrum cubicum. Mille litra continet, idque mihi aptum videbatur. Nihil iam restabat nisi ut de pretio disceptaremus. Omnia e qualitate pendunt. Dico ei : « Quanti constat cubicum ? » Mihi respondet : « Duo milia francorum. » Exsilui quasi cuniculus ; deinde conclusi unius mulieris capacitatem non plus quam trecentorum litrorum esse posse. Nihilo minus dico : « Pluris, quam æquum est, constat. » Respondet Brument : « Minore pretio non possum. Parum pecuniæ tum lucrarer. » Non frustra est venditor porcorum – id certe intellegis. Suam quisque rem sciat servare. At si ille laridi venditor callidus est, ego aliquid emendum suscipiens sum astutus. Ha-ha-ha ! Ergo ei dico : « Si uxor tua iuvenis esset, nihil dicerem ; sed in usu diuturno consumpta est, nonne ita est ? Ergo iam venustate decrescit. Mille quingentos francos pro metro cubico solvam, sed insuper ne unum quidem solidum. Convenitne ? » Respondet ille : « Nimirum convenit. In fidem pacti dextras porrigamus. » Dextras alter alteri porreximus et bracchiis coniunctis egressi sumus. In vita enim alteri alterius auxilio opus est. Repente autem quadam re perterritus sum : « Quomodo istam capacitatem metiri in animo habes, nisi uxorem tuam in laticem mutare potes ? » Tum consilium suum admodum difficili ratione – nam madidus erat – explicare cœpit. « Dolium sumam », inquit, « et id aqua replebo usque ad summum marginem. Mulierem in illo dolio ponam. Omnem aquam, quæ e dolio effluxerit, metiemur – ita res bene geretur. » Ego illi dico : « Ita vero, credo me intellegere. Sed... ea aqua, quæ effluit, humi fusa diffluit ; quomodo eam recipere et metiri potes ? » Tum ille me maledictis vehementissimis increpare aggreditur : nihil esse me obtusius. « Non opus erit », inquit, « nisi dolium denuo aqua replere, postquam mulier inde retracta erit, et huius novæ aquæ copiam metiri... Puto ego decies situlam replendo id fieri, ergo unum metrum cubicum est. » Non stultus est iste cavillator, quamvis madidus sit ! Denique ibi domi eius sumus, et ego eam mulierem incipio præcipua attentione inspicere. Non hercle pulchra est mulier. Omnes id videre possunt, ecce hic adest. Deliberare incipio : « Deceptus sum, sed non refert : sive pulchra est sive fœda, esto ! – pariter ad usum apta, nonne ita est, domine præses ? » Et deinde

animadverto eam tenuem esse, velut perticam. Mihi dico : « Non ibi sunt quadringenta litra ! » Cum de laticibus agitur, ego expertus sum. Ipsam operationem metiendi illa iam rettulit. Ego quin etiam permisi, ne illa tibialia et camisiam exueret, quamquam ita ipse damnum capturus eram. Re gesta illa fugæ se mandat. Dico ego : « Cave, Brument ! Ista se in pedes conicit et dilabitur ! » Respondet mihi Brument : « Noli sollicitari ; haud dubie eam recipiemus. Necesse est ad dormiendum redeat. Eamus ad metiendum, quantum aquæ e dolio effluxerit ! » Metimur. Ne quattuor quidem situlæ ea aqua replentur. Ha-ha-ha-ha-ha !

Reus tanta tenacitate ridere pergit, ut unus e vigilibus armatis coactus sit tergum eius tundere. Tranquillato tandem risu rursus verba facit :

– Denique Brument declarat : « Non satis est, de ea re ne consultatur quidem ! » Ego tumido ore litigo, is tumido ore litigat, ego acrius delitigo, is tundit, ego ferio. Id usque ad diem summi iudicii durat – etenim nos madidi eramus. Et ecce vigiles armati veniunt, qui exsecrantes et nos male mulcantes deprehendunt et in vincula coniciunt. Ego exigo, ut damna compensentur !

Assedit. Surrexit Brument et omnia, quæ socius facinoris confessus erat, confirmavit. Iudices iurati obstupefacti ad rem deliberandam exierunt.

Transacta hora reverterunt et deprehensos liberos esse declaraverunt, tamen severe de sanctitate coniugii monentes ; esse modum in rebus et certos denique fines, quos numquam in mercibus transferendis excedere liceret.

Brument cum coniuge sua in tectum coniugale versus se contulit.

Cornu ad negotia sua gerenda rediit. ☙

---

1. Edita primum 22.2.1884 in *Gil Blas,* denuo inter novellas sub titulo *Le rosier de Madame Husson* collectas.

Imaginem pinxit Rauno Luttinen.

DE ITINERIBVS
AD AMERICAM LATINAM ET ÆTHIOPIAM

– narrat Samius Jansson –

Anno proxime præterito extraordinarie multum temporis terebam ultra fines Finniæ duas propter causas : primum ineunte anno 2009 recepi stipendium modicius Finnicæ associationis CIMO (Centrum Internationalis Mobilitatis) quæ fulcro œconomico promovet in studiorum universitate studentium et docentium Finnorum et Finnarum facultates ad opus faciundum peregre. Deinde iter feci ad Æthiopiam adoptionis causa mense Decembri anno 2009. Hic narro, quid peregre fecerim et viderim.

Stipendii auxilio visitavi Chiliam ubi duos menses et dimidium inter Aprilem et Iulium Temucone in Universitate Studiorum « Universidad de la Frontera » alumnos Chilienses docebam linguam Anglicam et Latinam. Simul etiam studebam ipse linguæ Hispanicæ et indigenarum Chiliensium sermoni « Mapudungun ». Quod Latine et Anglice expeditius quam Hispanice loquor, necesse erat mihi cursum linguæ Latinæ Anglice facere. Hoc autem admodum difficile apparuit alumnis Chiliensibus nam ibi lingua Anglica longe minus colitur quam in Europa. Sed ipse coactus eram Hispanice discere linguam « Mapudungun », nam lectiones a professore hac lingua proferebantur. Cum discipuli mei conquesti essent se difficile intellegere dum ipse solum Anglice eis loquor, respondi me ipsum illis temporibus etiam operam dare ad acroasim præparandam Hispanice de traditione orali transferenda in cursu linguæ « Mapudungun ». Quod linguam Latinam in America Latina docui Anglice, hoc mihi risum fere promovit eam ob causam quod Georgium W. Bush iocose tradunt dixisse « Americam Latinam non visitavi, quod Latine non loquor » et hic ego Georgii W. Bush sermone patrio doceo linguam Latinam homines, quorum sermo patrius est filius linguæ Latinæ.

Inter cursus academicos nostros omnibus fere finibus septimanæ cum uxore (quæ ibi eadem ac ego in universitate studiorum docebat sermonem Franco-Gallicum) visitavimus varias regiones haud nimis procul a Temucone. Mirabiles valde res vidimus sicut exempli gratia Valdiviæ otarias, quæ animalia ibi tam

cicuria et pigra facta sunt propter vitæ facilitatem prope mercatum in portu Valdiviæ, ubi piscatores eis viscera capitaque piscium iactant, ut nihil ulterius eis restet ad victum sibi parandum nisi ore aperto iacere post sæptum ferreum, quo piscatores animalia ista maritima separant a maris fructibus suis. Valle Paradisi *(Valparaiso)* vidimus et adhibuimus machinas scansorias quibus incolæ se tollunt ad altiores partes urbis,

nam Vallis Paradisi in clivo collis sita est ac mirum in modum constructa stratis, in quibus domus et insulæ supra alias assurgunt. Pucone etiam altius me ipsum attuli et supra nubes quidem, nam vulcanum Villaricam ibi valde laboriose ascendi usque ad summum, ubi gasa vulcanica sulphurica tunicas mucosas nasi mihi acerrime usserunt. Vulcanum ascendere haud parvus labor erat, nam quo propius summum appropinquabamus, eo fortiore vento vapulabamus, et in oculos accipiebamus flatu venti vehementissimo ex vulcani clivis raptam arenam, namque ventus iste asperrime vultum verberabat ac os genasque nobis terebat. Simul labor ascendendi scilicet vires corporis fere exhausit. Æquum fere laborem potes certe experiri si supra autocineti onerarii tabulatum sedens in sella birotæ exercendi pavis [1] contra maximum eius impedimentum summis viribus tuis. Autocinetum onerarium ita centum chiliometrorum celeritate procedit, ut quam difficillime prohibeas, ne de sella et tabulato decidas, et simul ante autocinetum istud præcipitat autocarrus longus gasum sulphuricum transportans, cuius rotæ deiciunt arenam in vultum tibi dum simul gasum sulphuricum in nares tibi fluit ex rima parva in autocarri istius longi receptaculo.

Præter Chiliam visitavimus Argentinam et Peruviam. In Argentina fuimus haud diutius quam unum finem septimanæ, et visitavimus parvum oppi-

dum, cui nomen est Sanctus Martinus Montium Andinorum. Hoc oppidum constructum est periegetis, qui illuc veniunt ut decurrant per declivia nartis. Itaque nihil erat ibi multo alius generis quam quod nondum in Finnia vidi. In Finnia enim Septentrionali etiam similia loca naturalia abundant, in quibus homines feriis inter opera sua tempus terunt ac nartant supra nivem albam vel per declivia alta. Saunas autem admodum inutiles videntur habere Americani Latini, nam monstraverunt nobis quasi « saunam Finnicam » in deversorio quodam Sancti Martini, at foco debilissimo ista sauna erat parata et, ubi saunæ trulla stillulam tantum aquæ sparsi ad lapides foci, omnino confriguit focus. Similem saunam ceterum vidi in deversorio luxurioso « Sheraton » Addis Abebæ in Æthiopia. Ibi sicut etiam Sancti Martini moderatores deversorii manifesto multum auri erogaverunt ad saunam, frigidarium, piscinam, campum gramineum, apodyterium, alveum iacuzzicum et nescioquid vanum parandum, et sic etiam focum emerunt inutilem. Insuper Sancti Martini in deversorio situlam aquæ clavis fixerunt in pariete saunæ. Istud inhabiliter quidem fecerunt nam difficillime eadem situla potuit repleri.

In Peruvia fuimus duas septimanas et ibi visitavimus Limam, Mancoram, Chiclaionem et Truillonem. Noluimus tamen ire ad præclaram urbem historicam, cui nomen est Macchu Picchu quæque constructa est summis in montibus Andinis. Postea multi me rogaverunt, cur non visitavissemus istam urbem clarissimam, cum iam in Peruvia fuissemus. Sed hoc constituimus eam ob causam quod ibi aer frigidus est mense Iulio et hunc vitare cupivimus. Altera causa erat multitudo periegetarum inter quos noluimus nimis versari historica monumenta spectantes. Urbes enim in America Latina videntur esse peditibus perstipatæ festinantibus autocinetisque tumultuosis, quo satis perfatigabar ego, qui assuetus sum tranquille vivere in parvo oppido meo domestico, et nolui me in periegetarum multitudine farcire. Ita directe Lima profecti sumus ad maxime septentrionale oppidum Peruviæ, Mancoram, quæ prope iacet ab Æquatore et ubi scilicet aer calidus cutem nobis lepidissime mulcebat. Mancoræ enim tam hieme quam æstate (in australi scilicet parte æquatoris hiemem habent eo tempore quo in Europa habemus æstatem) tempestates valde suaves sunt aerisque temperatura bene superat +30 centigradus medio die, et nocte +20. Mancoræ opulentes iuvenes ferias agunt cacuminibus peraltis undarum furiose spumantium Maris Pacifici quottidie tabulis surfandi suis vectitantes semper a prima luce usque ad solis occasum et pecuniæ satis videlicet apportant incolis paucis Mancoræ, quod oppidum parvum est. Ibi vidimus delphinos in altis undis natantes ac etiam pelicanos et vultures, qui avidissime sibi occasionem aucupabantur surripiendi piscium viscera vel capita vel etiam piscem aliquando totum a piscatoribus, qui ibi retibus piscabantur ac scaphas suas per litora Peruviana gubernabant parvas.

Chiclaione visitavimus (non ego sed uxor mea sola, nam ipse ibi nausea et dolore ventris laborans in deversorio iacebam) musea, nam illis in regionibus indigenæ antiqui ante bis fere milia annorum creaverunt civitates Europæis civitatibus splendore pares. Opulentes nostræ ætatis libenter musculos suos exercent, sed contrariæ rei favebant opulentes antiqui. E.g. mumia Domini Sipani tantopere onerata erat auro ut dominus vivus dum esset vix ipsius pedibus posset ambulare. Hoc autem autocratorem minime impedivit, quin transferretur ad varia loca, nam scilicet habebat portatores, qui eum sede regali vehebant, et satellites, qui armis custodiebant, ne quis viam ei obstrueret. Et cum mortuus est imperator, tunc ancillis, uxoribus, servis et satellitibus eius nulla causa vivendi relicta est. Omnes igitur propinqui ducis interfecti et cum domino positi sunt in eodem sepulchro, unde archæologi hodierni totum corpus officialium cum suo duce sepultum in lucem huius sæculi protulerunt. Aliquando operarii ducum Americæ Latinæ antiquorum, si Fortuna eos adiuvit, ante quam sepulti cum domino in mortem strangulando ducti sunt, sed secundum archæologos operarii Domini Sipani simpliciter vivi, spirantes, vigilantes et totius mentis compotes positi sunt sub terram. Optimates antiquæ Americæ Latinæ vehementer amabant sanguinem humanum.

Dominus Sipanus

Itaque sacerdotes, qui cum familia regali habitabant summas pyramides, frequenter immolaverunt homines pro victimis, quorum corda pulsantia ex aperto pectore, quod primum cultro sacrificandi fiderunt, manibus nudis exstirpaverunt et deis sacrificaverunt in vase sancto, ac sanguinem ex vulnere defluentem in altero vaso receptum summa voluptate potaverunt. Quid ad corpora victimarum ? Etiam hanc rem scilicet cogitaverant sacerdotes et ipsi duces, nam architectis suis mandaverant pyramides ita designare, ut locus in summo servaretur ad corpora humana deicienda. Itaque iuxta aram immolandi erat humilis scrobis mœniis circumdatus, in quem corpora a sacerdotibus deiecta sunt. Valde miror qua ratione sacerdotes et duces, qui ipsi cum familiis suis habitabant pyramidem regalem summam, tolerarent fœtorem putrescentium cadaverum et perpetuam sodalitatem vulturum.

Limæ vidimus mapaliam egenam ubi miliones hominum vivunt in pessima paupertate. Severrime etiam ibi admoniti sumus ne vel momentillum temporis relinqueremus res nostras sine custodia, aliter sarcinæ ex inopinato a furibus Limanis subducerentur. Commeatus publicus Limæ sicut etiam privatus scilicet intolerabilis videtur mihi qui parum assuetus sum ad perpetuam bucinationem autorædarum, ad vehiculorum et peditum nimiam valdeque confusam affluentiam et ad pollutionem pessimam aeris. Itaque statim emimus tesseras viarias et sic autoræda longa iam eodem die avecti sumus procul e Lima.

Cum post Chiclaionem venimus Truillonem in ora Peruviana, primam noctem egimus in deversorio viliore sed – sumus enim Finni hodiernis commoditatibus bene assueti – secundo iam die migravimus ad oppidi optimum et carissimum deversorium ubi custodes Kalasnikovis armati stabant ante fores curantes, ne pauperes nec scelesti etiam intrarent. Manifesto ibi statim numerati sumus inter opulentes. *Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum satis.* [2]

Truillone, dum propinquis nostris dona comparantes civitatisque mirabilia spectantes circumibamus, res tæterrima, de qua vix vobis narrare ausim, ante oculos nostros se præbuit. Hanc ipsam rem Hervé Kempf acutissime explicat : « Oligarchia divitum suo modo vivendi non solum discrimina œcologica ingravat. Quamquam privilegia divitum iam in dubium vocata sunt, sollicitudo œcologica iam diu orta est, iam etiam liberalismus œconomicus asperrime est recensus, opulentium tamen oligarchia pergit debilitare libertatem publicam et spiritum democraticum. » [3] Nescio, an in Peruvia umquam hæc res in statu meliore fuerit quam hodie, sed ego ipse numquam antea æque clare et distincte potui istam odiosam et terribilem rem videre. *Chreme, tantumne ab re tuast oti tibi aliena ut cures ea quæ nihil ad te attinet ?* [4]

Distinctionem inter opulentes et pauperes iam alibi in America Latina paulo turbatus animadverti sed in Peruvia, et præcipue Truillone, vidimus infortunatos pauperes, sordidos et claudos, corpore debiles ac immundo vestitu indutos in eiusdem civitatis vicis et plateis mendicantes, et alios, qui forsan admodum fortunatiores sint, scruta et decora vilia venditantes. Quid ad opulentes ? Ditiores cives per plane nitidas vias vectitantur circum civitatem petorritis Americanis magnis motroque fortissimis, quæ vehicula dumtaxat trans dumeta terrasque fruticosas et saxosas ac per vias salebrosas vehendo potius designata sunt. Divites in pantopoliis luxuriosis sibi obsonant alimenta et vestimenta importata, sed pauperes vendunt et obsonant fructus, holera, aves, carnem et vestimenta in foris mercatoriis ubi mercatores in tabernulis et tuguriis suis merces suas venditant, simul ac innumerabiles institores circum tuguria et vicos ambulant tum perspicilla solaria, tum decora vilia, tum tesseras ad spectacula vel situs varios archæologicos tum nescioquid inutile prætereuntibus obtrudentes.

Certe, ego non eram paratus civitatem antiquam intrare. Nam quid aliud esset res publica Peruviana quam civitas secundum classes ordinata ? Nobilitas in summa civitate, mercatores divitissimi et magistratus in pænultimo gradu, infra eos officiales in gradu superiore medio, proletarii in inferiore gradu medio, et servi denique in imo gradu civitatis sunt dispositi. Infra servos forsitan numeranda est ea pars populi, quæ non dumtaxat est particeps societatis – mendicantes et scelesti homines. Articulus IV iurum humanorum interdicit servitudinem. Quid autem sibi vult istud verbum « libertas » ? Antiquis temporibus servi erant subiecti patronis suis, at hodie, ut ipse nunc censeo, omnes sunt subiecti lucro. Neoliberalismus in America Latina bene monstrat, quem ad finem sese iactet audacia divitum. Nobilitas minima globalis sibi potitur dominatione opium naturalium. Rarissimi autem (monachis forsan exceptis) dicunt se pauperiores, non ditiores, velle fieri.

Nuperrime in Æthiopiam iter fecimus, ut bene cognosceremus culturam, historiam rerumque naturam Æthiopicam ante quam tempus erit illuc iterum ire ad infantem nobis inde adoptivam afferendam. Hac enim occasione caput Æthiopiæ, Addis Abebam, cognovimus et regiones nonnullas rurales. Ibi sermo Anglicus aliquantulum intellegitur, sed aliqui e cauponibus

pauca verba Anglica cognoverunt et rustici plane nulla, qua de causa ipsi linguam Amharicam paullulum didicimus ut facilius cum aboriginibus loqui possemus. E. g. verba Amharica *addis abeba* Latine significant « novum florem ». Amharica lingua propinqua est linguæ Arabicæ, quod inter alia in verbis numerorum clare patet : *hamsa* = 50, *selassa* = 30 (Arabice *hamsa* et *thalata*). Imperator pristinus sibi nomen Biblicum accepit, nam verba *haile selassie* significant « vim Trinitatis ». Baptismate ei infanti datum erat nomen *Tafari Mekonnen,* in quo *Mekonnen* est nomen patris, qua enim ratione omnes sibi nomina familiaria ibi accipiunt. *Ras* Latine significat « ducem » et sic factum est nomen novæ religionis : *Rastafari.* Rastafari credunt Hailem esse Christum novum, qui e cælis tandem descenderit duo post millennia. Et musicum Robertum Marley fuisse nuntium huius euangelii. Hæc religio orta est in Iamaica, ubi Haile Selassie quam regalissime est receptus a regimine Iamaicense. Et sic propter hanc sibi valde lepidam rem Haile donavit quandam regionem Æthiopicam meridionalem Rastafaris, qui religionem suam hodie in Æthiopia colunt ubi etiam construxerunt templum religionis Rastafaricæ. Ipse cum uxore visitavi illud templum Rastafaricum, ubi operaria quædam barbata (erat enim mulier barbata) in caput uxoris posuit ricam (quæ potius videbatur tegumentum mensale esse) secundum regulam Rastafaricam, quæ feminis interdicit, ne templum nudis capitibus intrent. In templo sedebat vetus vir sanctus, qui ex Iamaica in Æthiopiam migraverat, ut coleret religionem Rastafaricam in Terra Sancta, quæ eisdem nimirum Æthiopia est loco Palæstinæ. Mirabilia huiusmodi, ut supra scripsi, narravit mihi Anglice hic vir sanctus simul ac tintinnabulum quoddam ibi fortiter in templo sonabat cantiones Natalicias sono simplici telephoni portabilis veteris. Ricardus Dawkins in suo opere « De illusione Divina » (*The God Illusion,* 2006) narrat religiones novas occasione data

Rastafarus

fere ex nihilo mirum in modum oriri, sicut factum est e.g. inter aliquas gentes tropicales posteaquam homines ex Occidentalibus civitatibus aeroplanis suis easdem gentes visitaverunt. Tales religiones Dawkins vocat Anglice *cargo religions,* id est, « religiones oneris aeroplani », nempe gentes superstitiosæ, quæ numquam aeroplanum antea viderunt, sibi mente fingunt aeroplano iter facientes homines divinos esse. Et simili ratione explicat Dawkins, quomodo ortæ sint omnes religiones, ut Rastafarica, Christiana, Islamica etc. Novam enim religionem oriri, dum alicui valde extraordinario homini simpliciter contingat, ut multitudinem hominum coniungat. Novum cultum, postquam ortus sit, pertinacissime deinde pugnare contra alios modos cogitandi, etiam si aliqui ex his essent clementiores dumtaxat, saniores, magis democratici, prudentiores etc. In Æthiopia aliquibus in regionibus adhuc circumcidunt virginum genitalia secundum veterem cultum, qui mixtus ibi est religioni Christianæ. Cui prosit integras virgines ætate vix decem annorum sic turpiter violare eisque maximum dolorem afferre ? Forsitan eis, qui censent sic laceratas virgines nolle cum viris coire ideoque gravidas non iri factum ante quam matrimonio erunt coactæ maritis suis progenies donare. Ne quidem videtur esse efficiens methodus prophylactica, nam Æthiopia abundat incolis.

In Æthiopia vidimus etiam animalia Africana, ut zebras, papiones, [5] crocodilos, hippopotamos et Marabu ciconias etc. Sed ea res, quæ valde animum mihi movit, erat ibi eadem ac in America Latina. Nam istis in rebus publicis divisio inter opulentes et pauperes altior est quam in Finnia nostra parva sed admodum diviti. Pessime se habent pauperes Peruviani et Æthiopici, nam hisce in partibus mundi mendicantes valde miseri redundant in urbium vicis vilia venditantes scruta aut simpliciter pecuniam ab opulentioribus civibus petentes. Egentioribus in civitatibus exsistit dumtaxat civitas umbrarum, id est, hominum qui totam vitam suam in publicis viis urbis sordidis vivunt quorumque filii et filiæ similem vivendi rationem a parentibus discunt. Hi homines umbræ potius quam cives sunt rei publicæ, nam pauperes mendicantes inac-

curate possunt in censum referri ac proinde nemo scit, quot sint pauperes in urbe magna.

Si credis te ipsum esse miserum et a Fortuna fausta desertum, tibi suadeo, ut facias hoc experimentum cogitandi : animo finge te esse puellam inermem vix tredecim annos natam parentibus carentem et sine domicilio sineque opere apud vel conductorem quemcumque vel cauponem vel institutum, et ineruditam, gravidam factam, et te iam habere infantem duorum annorum, quorumque amborum infantium patres te deseruissent ac alter ex his dono molestissimo tibi reliquisset VIDH-virum (Virum Immunitarii Defectus Humanæ). Potuisses ad scholam ire, quam res publica pauperibus instituit gratis, sed propter pessimam ineruditionem tuam vix audivisses, quid sibi velit talis res ut schola quidque usui sit illuc ire. Qualis esset vita tua ? Quottidie mendicans in via iaceres cum tuis infantibus in squalore urbis sine facultate lavandi te. Noctibus corpus tuum venderes viris, qui paulum pecuniæ tibi forsitan solverent pro officio sexuali, et simul etiam in perpetuo violationis periculo viveres. Istiusmodi et peior quidem vitæ condicio longe verior est quam cogitandi experimentum nescioquot hominibus (puellis, pueris, senibus, mancis, corporeque invalidis), qui mapalias urbium habitant magnas sicut Addis Abebæ.

Addis Abebæ in Æthiopia, Truillone ac Limæ in Peruvia hanc ipsam rem oculis meis vidi permanere : opulentes bene vivunt et semper ditiores fiunt, pauperes autem pretium solvunt. Quis servus aut pauper est ? Quis rex aut opulens ? Si caret imperio, rex nemo est nisi homo simplex absque ulla potestate. Simili ratione, pauper homo non est pauper nisi propter imperium regis, ducis, opulentis vel nesciocuius tyranni, qui fraude sibi et vi nimirum opes naturales certæ regionis, ubi hic idem pauper incola vivit, sub potestatem duxit ac simul eorundem opium usum aliis omnibus hominibus interdixit nisi hi primum pretium solvunt. Sed hodie hæc res involuta est in vestitu, cui nomen est « libertas ».

Quid est enim libertas ? potestas vivendi ut velis. [6] *An eorum servitus dubia est qui cupiditate peculii nullam condicionem recusant durissimæ servitutis ?* [7] *O di immortales ! non intellegunt homines quam magnum vectigal sit parsimonia.* [8] Parsimonia !? Hic Cicero noster valde falsus simulat se non esse divitem. Sine dubio Roma Ciceronis ætate abundabat pauperibus, quorum fato ipse Cicero et alii optimates scilicet cæci erant. Cicero etiam audet contradicere : *Meam autem pecuniam contemnis (et recte, est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica), de me silebo, de re loquar.* [9] At sine pauperibus Romanis Cicero non potuisset esse dives. Parsimonia divitis potius est avaritia, superbia, et cupiditas lucri. Opulentes sic in America Latina et in Æthiopia ut in aliis civitatibus egentioribus Ciceronis instar divites sunt eam solam propter causam, quod civitas eos ipsos parat privilegiis secundum leges, quas ipsi divites sibi constituerunt.

Ioannes Iacobus Rousseau monuit pactum sociale nihil aliud esse quam legem ad divitum proprietatem servandam. Hodie undis socialismi lenitis nostræ societates iterum videntur recuperare formam dextrorsum inclinantem, quo facto opulentes legum subsidio sibi aurum parant, pauperes autem in viis urbium mendicant deserti et neglecti a legibus. ☙

---

1. Pavire : pedalia birotæ pedibus premere. Quod vocabulum invenitur in lexico Finnico-Latino Gregorii Pitkäranta et in Latino-Finnico Adolphi V. Streng.
2. Plauti *Aulularia,* 166.
3. Kempf, Hervé (2007). *Comment les riches détruisent la planète,* 10. Éditions du Seuil. Lutetiæ.
4. Terentii *Heautontimorumenos,* 75.
5. Papio : *babouin, baboon, paviaani, pavian, papión.*
6. Ciceronis *Paradoxa Stoicorum,* V, 34.
7. Cic. *Par. Stoic.* V, 39.
8. Cic. *Par. Stoic.* VI, 49.
9. Cic. *Par. Stoic.* VI, 47.

NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (II)

– quod legendum proponit Francisca Deraedt –

Recordare, bone lector : præterita occasione Nicolaum Klimium eo tempore reliquimus quo, in mundum subterraneum delapsus, taurum fugiens in arborem ascendit... quam statim mirum in modum intellegit inde vehementer esse offensam. Arbores enim incolæ sunt planetæ, cui nomen est Nazar.

Sociabiles quidem sunt istæ arbores et ratione manifesto præditæ, at num etiam clementia et iustitia, ut homines ? Misereat nos Nicolai, ob crimen læsæ maiestatis deprehensi, in carcerem inclusi, ad tribunal deducti, qui nihil omnino intellegit, neque ritus, neque verba, neque significatum iudicium.

« E fontibus oculorum torrentes lacrimarum defluentes faciem inundabant. » [1]

In tribunali senatores, iudices, advocati, omnes sunt arbores ; præses describitur ut palma « mediocris staturæ, sed inter ceteros iudices ob foliorum varietatem, quæ diversis coloribus erant tincta, notabilis ». Prætor autem urbis, ut decet, est quercus. Hæ omnes satis lentis motibus ramos tollunt ad cælum sententiasque pronuntiant lingua prorsus ignota. Tota litis cærimonia tam singularis est, ut Nicolao videatur ridicula humanarum consuetudinum imitatio.

« Felicitatem tunc orbis nostri prædicabam et præstantiam Europæorum præ ceteris hominibus... At quam primum linguam subterraneam edoctus essem, et explicata mihi cuncta fuissent, contemptus in admirationem vertitur. »

Habitus enim, qui viro illius temporis videntur esse mirabiles, re attentius perspecta plus patefiunt virtutis quam stoliditatis. Quæ autem, ais bone lector, res mirabiles ? Imprimis in civitate Potu – vocatur enim ille principatus Potu, quod est anagramma vocabuli « Utop(ia) » – colitur tarditas, solentque sententiæ ter repeti ; qui nimis celeriter rem capiunt, putantur iudicio carere et rem publicam in periculum facile pellere. Heroes in illa terra non sunt bellatores, sed agricolæ.

Porro apud eosdem Potuanos non licet de essentia Dei disputare, nam insanum videtur de rebus tractare, quæ in intellectum nostrum non cadunt.

« Solitum est igitur subtiles hos disputatores, tamquam insanos, post venæ sectionem in ergastula publica compingere, donec delirare cessant. Hinc tacite mecum : Hei ! quid de Theologis nostris hic fieret ? Quos cottidie de qualitate et attributis Numinis, de natura spirituum et id genus aliis mysteriis rixantes cernimus. Qualis sors esset Metaphysicis nostris, qui transcendentalibus suis studiis superbientes, supra vulgus sapere, immo Diis se proximos credunt ? »

Procul dubio si in Europa nostra sic provisum esset, si agricolæ in maiore honore fuissent quam bellatores, si theologi inter se minus contendissent, non tam fœda tamque exitiabilia sæviissent bella ; hic multisque aliis locis facile percipitur satura socialis et politica.

Deinde, res in Europa sæculo duodevicesimo prorsus inusitata, apud Potuanos in muneribus distribuendis nullus est sexus discrimen ; sic fit ut illa palma versicolor, quam modo vidimus senatui præsidens, sit mulier.

Ceterum apud has arbores humanitate, ut ita dicam, præditas, summa pœna non est, sicut apud nos, mors, sed exsilium. Quod tamen Klimio nostro non imponitur, cum tam insolita sit figura, ut primum prætor, deinde ipse princeps hoc miraculum cupiant penitius inspicere. Ei ergo primum datur « magister linguæ, sub cuius institutione semestri spatio tantum profeci, ut cum incolis satis expedite fabularer ». Postea in periculum vocantur eius virtutes, vires et ingenium. Primum vitium in eo esse videtur, quod Nicolaus ramis caret. Nihilominus videtur arborum societati aliquo modo utilis esse posse ; quem in finem aliquot menses educatur in gymnasio. Transacto autem institutionis tempore, baccalaureo nostro datur Potuanorum magistrorum officiale testimonium, quod tremulus, avidus proprias laudes legendi, aperit. Sunt autem scripta hæc :

« Mandato Serenitatis Vestræ obsequentes, instructum sollicite in Gymnasio nostro dimittimus animal nuper ad nos ex alio orbe delatum, hominemque se nuncupans. Perspecto penitius eiusdem ingenio, ac moribus exploratis, docilem satis ac promptissimæ perceptionis offendimus, sed obliqui adeo iudicii, ut ob ingenium nimis præcox vix ad creaturas rationales referri, nedum ad munus aliquod momentosum admitti queat. At cum pernicitate pedum nobis omnibus sit præstantior, cursoris aulici officio fungi strenue poterit. »

Miser Nicolaus, qui solus homo inter truncos nihil exspectaverat nisi cumulatissimas laudes, frustra proprium profert testimonium academicum, frustra lacrimas effundit, frustra precatur ut intercedat prætor, cuius uxorem ascendens primum visus erat subagitare velle, sed cuius nunc est hospes. Testimonium acade-

micum in civitate Potu nullius esse ponderis, neque hic licere immeritas prædicare virtutes.

« Candide tandem ipse [i.e. prætor] fassus est, iam dudum innotuisse sibi imbecillitatem iudicii mei, ac statim e memoriæ meæ ubertate et celeri apprehensione iudicasse, lignum me non esse, ex quo Mercurius fieri posset, ac proinde ob insignem iudicii eclipsin amplo alicui muneri non suffecturum. Didicisse se, ait, e narrationibus et descriptione gentis Europææ, me *Stultorum in patria, pravoque sub aere natum.* [2] Cetera de amicitia sua prolixe testatus, itineri ut absque mora accingerer, me hortatus est. »

Detestetur Klimius fortunam, quæ baccalaureum fecerit vilem cursorem : nobis quidem gaudendum est, quod cursor aulicus orbem subterraneum perlustrans delectabilia portenta est relaturus. Longum tamen sit totam Nicolai narrare peregrinationem, omniave facinora : tam fecunda est vena auctoris Ludovici Holberg. Quamobrem, optime lector, nonnulla selegi tibi hic proponenda, quibus haud dubito quin alliciaris ad opus Ludovici Holberg totum perlegendum.

Ergo per integrum biennium Nicolaus nihil agit, nisi mandatis et epistulis oneratus totam peragrat regionem, simul sedulo adnotans singulorum mores et instituta. Quo munere cum egregie fungatur, principi in mentem venit eum aptum esse, qui reliquum planetam Nazar, Potuanis adhuc incognitum, detegat.

« Globus Planetæ Nazar, quamvis circuitu vix ducenta milliaria Germanica complectitur, valde tamen spatiosus ob tarditatem incessus incolis videtur. Hinc subterraneis hisce adhuc pleræque regiones, maxime vero remotiores, sunt incognitæ. Nam cuivis Potuano biennii spatium non sufficeret, orbem hunc pedibus emensuro. Mihi vero ob pedum pernicitatem unus mensis sat erat. Quod vero maxime me anxium habuit, erat ea, quam imaginabar, linguarum diversitas. Sed animum mihi addiderunt nonnulli, qui totius planetæ incolas, licet moribus mire discordes, eadem tamen dialecto uti testabantur ; porro totum arboreum genus innoxium, sociabile et beneficum esse, adeo, ut absque ullo discrimine totam huius globi superficiem perreptarem. (...) Quæ sequuntur stupenda adeo sunt, ut ad fictiones poeticas aut meros ingenii lusus referri queant. »

Cum globus ille speciem præbeat archipelagi, populique ibi singuli a singulis vivant omnino separati, unaquæque provincia videtur esse novus orbis – novus orbis, cuius mores singulares lectorem plus semel invitant ad cogitationem.

Ecce primum provincia Quamso, ubi cum nemo ægrotet aut sit tristis, nemo etiam felix dici possit.

« In provincia Quamso, quæ prima ultra fretum regio est, nulli corporis infirmitati ac morbo obnoxii sunt incolæ, sed omnes usque ad canitiem in valetudine inoffensa vivunt. Hinc visæ mihi sunt omnium creaturarum felicissimæ ; at e levi cum iisdem conversatione, opinione me insigniter falsum esse animadverti. Nam cum inter huius provinciæ incolas neminem viderim tristem, ita neminem simul contentum, ne dicam lætum, conspexi. Nam uti cæli serenitate ac aeris temperie, non nisi turbida ac nubila prius experti, afficimur ; ita arbores hæ felicitatem non percipiunt, quia perennis ac sine interruptione est, sanosque se non sentiunt, quoniam morbos ignorant. Vitam igitur agunt in perpetua sanitate, at simul in perpetuo tepore : perpetua enim bona languescunt satietate ; et soli iucunde vivunt, quorum suaves voluptates acoribus condiuntur.

« Testari possum, in nulla gente mores minus lepidos, conversationem magis frigidam et invenustam me deprehendisse. Innoxia sane gens est, sed ea, quæ nec amore, nec odio digna ; nullius offensa metuenda, et nullius favor exspectandus ; et ut paucis dicam : nihil hic, quod displiceat, nihil etiam, quod placeat, reperies. Porro, cum perpetuum istud corporis beneficium mortis imaginem numquam oculis sistat, nullamque miserationem erga afflictos et laborantes alios moveat, ita nimis secure ac frigide absque zelo et misericordia totum vitæ tempus transigunt. Quocirca in illa gente nullum pietatis, nullum amoris ac misericordiæ vestigium apparet.

« Nam cum morbi mortalitatem nobis repræsentent, ad bene moriendum nos quoque acuunt, ac quasi in procinctu itineris paratos stare iubent ; et cum cruciatibus nos affligant, afflictorum simul misereri docent. Hinc facile mihi erat discernere, quantum morbi et pericula mortis ad pietatis ac socialitatis exercitia nos ducant, immo, quam iniuste succenseamus Creatori, quoniam ad certas nati videmur afflictiones, quæ salubres tamen et utiles nobis sunt. » ☙

---

1. Textus, qui hic proponuntur, excerpti sunt e libro secundo et nono operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum,* auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

2. Iuv., *Sat.* X, 50 : Vervecum in patria crassoque sub aere nasci.

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (VIII)
PRIMVM BELLVM RELIGIOSVM

– scripsit Gaius Licoppe –

Imperator **Iustinus II**, dum fere totam perdit Italiam, exercitum in Asia roborat et anno 572 tributum Persis solvere desinit ; quare bellum renovatur ; sed victus anno 574 tributum iterum cogitur solvere.

Avari, nomades eiusdem stirpis ac Hunni, e media Asia adveniunt ac sexto sæculo magnum regnum condunt, cuius limes meridionalis est Danuvius. Initio sunt Imperii socii ; pro Iustino II circa annum 567 Gepidas ex Pannonia expellunt, sed iam postero anno Imperium aggrediuntur : Dalmatiam et Illyricum invadunt. Iustinus II pacem emit grave tributum solvens. Avaros poeta Flavius Cresconius Corippus in carmine *De laudibus Iustini Augusti Minoris libri IV* describit ; Imperii tamen victoriam laudans, blanditur et mentitur ; nonnullos versus de præfatione depromo :

Illa colubrimodis Avarum gens dira capillis,
horribilis visu crudisque asperrima bellis,
imperio subiecta tuo, servire parata,
in media supplex defusis crinibus aula
exorat pacem, nec fidere milibus audet
tot numerosa suis Romana lacessere signa.
(v. 4-9)

Obiter adnimadvertamus linguam Latinam etiam post Iustiniani regnum in aula Constantinopolitana esse in usu.

Tiberius, comes excubitorum, iam anno 574 Cæsar factus est, cum Iustinus II amens fieri cœpit, et una cum Sophia regiminis habenas tenet. Iustino II anno 578 defuncto, fit imperator **Flavius Tiberius II** Constantinus (578-582). Hic civibus statim gratus est, quia vectigalia minuit, magno ærarii detrimento.

Idem iam ante Iustini II mortem copias contra Persas cogit eosque in Armenia vincit. Imperator factus, res Occidentales etiam curat ; in Hispania Cordubam recuperat, quam Visigothi anno 572 ceperant, et pacem cum eis facit. Rebelles in Africa septentrionali profligat.

Slavos, qui anno 579 in Balcaniam migrare cœperunt, infeliciter impedire non valet ne in Thraciam et Thessaliam penetrent, cum copiæ occupentur bello Persico.

Tiberii II regnum breve est ; anno enim 582 vita fungitur, fortasse veneno sublatus. Mauricius, qui ab anno 579 exercitui in bello contra Persas feliciter præest, anno 582 uxorem ducit Constantiam, Tiberii II filiam, et paulo post fit imperator **Flavius Mauricius I** Tiberius Augustus (582-602). Imperium male se habet : Tiberius II ærarium vacuefecit, magnum tributum solvendum est Avaris, Balcanicæ provinciæ a Slavis vastantur ; denique bellum Persicum non est finitum.

Persæ ad Daram anno 586 profligantur. Fortasse ea de causa princeps Chosroes, una cum summo militum magistro Bahram Chobin, regno expellit regem Hormizd IV, sed tunc magister militum ipse regno potitur, dum princeps ad Romanos confugit. Mauricius ad eum iuvandum copias cogit, quibuscum Bahram Chobin anno 591 vincit. Chosroes II, adepto throno, Mauricii filiam uxorem ducit atque partem septentrionalem orientalemque Mesopotamiæ, Armeniam nonnullasque alias regiones tradit Romanis ; numquam ante multum tempus Imperii fines ad Orientem tam extenti fuerunt.

Pace cum Persis facta, Mauricio licet vires in Balcaniam conferre. Ibi, inter annum 591 et 602, Romani Avaros et Slavos compluries vincunt, ita ut limitem secundum Danuvium restituere valeant. Mauricius tunc in animo habet populatas regiones augere novis incolis ex Armenia arcessitis.

In Hispania tamen Visigothi anno 584 Cordubam iterum capiunt atque omnes Imperii arces insequentibus viginti annis expugnant ; hic est finis semisæculi præsentiæ imperialis in Hispania, quæ incolis ingrata fuit.

In rebus religiosis Mauricius I est pacificus ; quamquam ipse est orthodoxus, monophysitas non persequitur. Magni momenti est eius coniunctio cum papa Gregorius I Magnus. Qui vir, anno 540 Romæ e christiana patriciaque gente Anicia ortus optimeque edoctus, anno 572 factus est præfectus Urbis. Postea a papa Pelagio II (578-590) ordonatur diaconus et Constantinopolin mittitur ut apocrisiarius (i.e. legatus), ubi diu manet, usque annum circiter 585 ; tamen, hoc est notandum, linguam Græcam ibi non discit nec in theologiam orientalem incumbit. Inde iam patet quanta facta sit distantia inter Orientalem et Latinam culturam christianitatis. Cum Eutychio, Constantinopolis patriarcha, controversiam habet de corporum resurrectione : Gregorius traditam thesin defendit, cum Eutychus ad Aristotelium hylemorphismum inclinetur, quo docetur solam animam synthesis humanæ formam esse, cui vitam dat.

Romam reversus, Gregorius papæ Pelagii II scriba est usque ad annum 590, quo, papa peste exstincto, ipse eligitur papa Gregorius I (590-604), conclamante populo et clero. Initio eius muneris Roma magnas calamitates patitur : pestis sævit, Tiberis extra ripas diffluit, ita ut non pauci putent instare finem mundi. Cum ab imperatore Mauricio I nullum auxilium accipiat ad Langobardos repellendos, ipse anno 595 indutias

facit cum eorum rege Agilulf. Præterea oritur controversia inter Gregorium I et patriarcham Constantinopolitanum, Iohannem IV (582-595), qui pro se postulat titulum œcumenicum ; sic alitur simultas Occidentalium Orientaliumque.

Præter Hispaniam et Italiam, Mauricius I Imperium bene restituit et eius fines ad orientem extendit. Gradatim tamen populo fit ingratus, non solum quia austerus et parcus est hippodromique ludos fastidit, sed præsertim propter incrementum oneris fiscalis ; peius etiam facit : negat ab Avaris redimere amplius decem milia captivorum ; qui necantur ; stipendium exercitus orientalis minuit quarta parte ; exercitui septentrionali imperat, ut ultra Danuvium hieme maneat et potius bellare pergat, quam in castris stativis hiemet.

Hac de causa centurio, Phocas nomine, seditionem exercitus Danuvii concitat ac Constantinopoli minatur. Mauricius I ultra Bosphorum fugit ; eius filius maior natu confugit ad Sassanidam regem Chosroem II, auxilium petiturus. Infeliciter Phocæ asseclæ Mauricium eiusque ceteros filios capiunt, qui omnes Constantinopoli obtruncantur, gaudente populo.

In Mauricii I aula, in exercitu et in administratione lingua Latina adhuc est in usu. Græce tamen Mauricius I conscribit clarum tractatum militarem, c.t. *Strategikon* (si quidem ipse fuit auctor) ; in quo primum exponitur complexa theoria de variis armis componendis ; opus, cum in manibus sit omnium militarium ducum, non pauca confert ad efficacitatem exercituum Imperii Orientalis. Græce etiam conscriptus est præcipuus fons historiæ imperatoris Mauricii I : *Historiæ,* auctore Theophylacto Simocatta (priore dimidia parte septimi sæculi). [1]

Dynastia Iustiniana exstinguitur primo vehementi tumultu a tempore Constantini facto. **Flavius Phocas** Augustus (602-610) populo primum gratus est propter vectigalia deminuta. Ultimum monumentum in foro Romano erectum est columna Phocæ, imperatori dedicata ab exarcha Ravennati. Mox tamen Phocas fit tyrannus sanguinarius : atrociter persequitur hæreticos, infideles, Iudæos et præsertim monophysitas in Ægypto. Chosroes II autem, Mauricii I, sui patroni, trucidatione utens, anno 603 bellum contra Imperium renovat et exercitum limitaneum vincit. Propter Phocæ sævitiam Persæ accipiuntur ut liberatores ; arce Dara anno 605 expugnata, Syriam et Palæstinam anno 607 vastant. In Syria adhuc sunt regiones, quarum vici a septimo sæculo omnino derelicti sunt. Persæ Asiam Minorem intrant et anno 609 incursionem faciunt usque Calchedonem, adversus Constantinopolin. Imperium rebellionibus, conspirationibus et tumultibus debilitatum in summo discrimine versatur.

Spes resurgendi venit ex Africa. Heraclius, e Cappadocia oriundus atque a Mauricio I exarcha Carthagine factus, anno 608 ab imperatore Phoca secessionem facit et una cum filio, etiam Heraclio vocato, Africam suo iure regit ; uno anno post Ægypto potiuntur. Anno 610 Phocam statuunt regno expellere. Heraclius iunior cum magna classe Constantinopolin petit, ubi populus ei maxime favet. Phocas comprehensus ad eum ducitur ac statim interficitur. Eodem die **Flavius Heraclius** coronatur imperator (610-641).

Res pessime se habent ; Persæ enim anno 613 Imperii exercitum apud Antiochiam vincunt ac Damascum capiunt ; anno 614 Hierosolymis potiuntur, ubi basilicam Anastasis incendunt et unde Ctesiphontem deducunt patriarcham Zachariam, cum præstantissimis christianismi reliquiis, inter quas numeratur Sancta Crux ; anno 619 Ægypto potiuntur. Hoc bellum primum est religiosum. Apud Persas mazdeismus [2] populo imponitur ; christiani, qui satis multi sunt in eorum imperio, tolerantur, quia medio quinto sæculo nestoriani facti sunt nec ullum vinculum iam habent cum Constantinopoli.

Bello Persico accedit impetus Avarorum, qui sexto sæculo amplam regionem ultra Danuvium occupant. Imprimis sunt socii Imperii, pro quo nonnulla bella gerunt contra alios barbaros. Deinde vero infesti fiunt et anno 619 Constantinopolin oppugnant, dum Persarum classis obsidionem perficit.

Tot cladibus prostratus, Heraclius Constantinopolin reliquisset, sedem Imperii Carthaginem translaturus,

Drachma Chosroæ II (argentum ; Bruxellis in Bibliotheca Regia).

nisi patriarcha Sergius indomita fortitudine eius vires confirmasset. Sergio ingentem Ecclesiæ thesaurum pro bello sancto præbente, Heraclius animum recipit ac statuit Persarum facinora ulcisci. Sollers est et belli peritus ; bene scit administrare. Primum indutias facit magnumque tributum solvit, dum exercitum restituit ; anno demum 622 paratus est aggredi, præ se ferens Christi imaginem ἀχειροποίητον (i.e. non humana manu factam), vexillum belli sancti.

Exercitum exponit in Ciliciam, unde Asiam Minorem petit, quam Persas relinquere cogit. Anno 623 Heraclius exercitum Trapezuntem exponit, Pontum transit, Armeniam intrat, urbem caput *Dovin* capit, ipsos regni Persici fines invadit, ubi non longe abest quin Chosroem II in domo regia *Ganzak* comprehendat. Proximum templum Ignis Sacri delet et 50 milia captivorum in reditu secum trahit. Anno 624 bellum geritur in Caucaso, ubi Persarum exercitus iterum fugatur. Dum Heraclius anno 625 per Asiam Minorem itineratur et in Ponto hiemat, Chosroes II arma coniungit cum Avaris ; anno 626 Persarum exercitus Asiam Minorem transit et castra iterum ponit ad Calchedonem in litore Propontidis, dum Avarorum catervæ accurrunt sub Constantinopolis mœnia, quæ fortiter defendit patriarcha Sergius, Θεοτόκου (i.e. Deiparæ) imagine desuper exhibita. Cum valida Imperii classis impediat ne coniungantur Avari et Persæ, ambo obsidione desistere coguntur.

Dum hæc circa Constantinopolin geruntur, Heraclius in Caucaso Persarum socios redigit in dicionem suam atque ibi convenit *Khan* (ducem) nomadum Khazar, Turcæ stirpis, cui principissam porphyrogenetam promittit pro 40 milibus equitum auxiliarium. Ipse Armeniam transit, deinde Atropatenen (hodie *Azerbaidjan*) et Assyriam intrat, ubi exeunte anno 627 prope Ninivæ ruinas Persarum exercitum profligat, magna potiens præda. Chronographi illius temporis memorare non omittunt haud longe ab hoc loco abesse Arbela, apud quæ novem sæculis ante Alexander Magnus Regem Regum devicerat.

Heraclius, iter ad meridiem pergens, regionem regiorum paradisorum ineunte anno 628 intrat. Chosroes II, qui in paradiso *Dastgard* versatur, præpropere fugit, ingentem prædam Heraclio relinquens : aurum et argentum non signatum, tapetia acu picta, serica, saccharum, condimenta, aromata... Recuperantur trecenta vexilla Romana in bellis capta, liberatur multitudo christianorum e Syria, Asia Minore et Ægypto erepta. Ad vastatas Imperii urbes ulciscendas, Heraclius palatium incendit. Paulo post Chosroes II dedecoratus regno a proprio filio expellitur et necatur.

Heraclius ad victoriam celebrandam populo Constantinopolitano epistulam mittit huiusmodi : « Iacet superbus, impius Chosroes ! Deiectus est in Inferos ! Qui gloriabatur se Christum, Παρθένον (Virginem) eandemque Θεοτόκον (Deiparam) contemnere, cecidit confractus ! ». Mense Septembri anni 628 Heraclius triumphum Constantinopoli celebrat, populo lætitia exsultante. Postero anno omnes Imperii partes a Persis liberantur, dum Ctesiphonte rixæ oriuntur de throno.

Mense Martio anni 630 Heraclius recuperatam Veram Crucem triumphaliter reportat Hierosolyma. In chronicis libris leguntur hæc : « Ipse imperator crucem gerebat et Calvarium ascendit, ubi eam patriarchæ Zachariæ tradidit. » Hic est finis certaminis Christi adversus Zoroastrem, quod historici habent ut primam cruciatam expeditionem.

Heraclius etiam in res religiosas debet incumbere. Monophysitas vidit Persas ut liberatores initio accepisse ; oportet ergo aliquid facere ut monophysitæ reconcilientur cum orthodoxis. Petente Imperatore, patriarcha Sergius formulam excogitat a patriarcha Alexandrino Cyro acceptam ; quæ, anno 616 primum enuntiata, monothelismus vocatur (e Græco θέλημα, i.e. voluntas) ; in Iesu agnoscuntur duæ naturæ, sed una voluntate motæ, cuius effectus est « theandricus » (Θεός, ἀνήρ).

Nonnulli tamen theologi formulam respuunt ; præsertim non accipiunt notionem unius actuositatis et Sergio suadent, ut ψέφος (obscuritatem) anno 633 promulget, quo omnem christianum vetetur de Iesu actuositatum numero loqui. Romæ papa Honorius I ψέφος confirmat, at non respuit notionem unius voluntatis. Heraclius operam dat ut hæc fidei professio, ἔκθεσις (i.e. expositio) vocata et anno 638 publicata, accipiatur et a monophysitis et ab Ecclesia Romana ; hoc tamen non solum frustra fit, sed est initium novæ rixæ inter papam et patriarcham Constantinopolitanum, quæ curæ erit Heraclii successori.

Heraclii regnum est verus finis Antiquitatis in orientali parte Imperii. Omnes eius regiones vastatæ sunt ; infelices incolæ vexati, necati sunt, feminæ constupratæ iteratis variorum barbarorum irruptionibus. Multi eorum in Balcania sedem collocaverunt, unde facta est magna populi diversitas ; incohantur tempora mediævalia.

Usque ad Heraclium, Imperium suam notam universalem servavit ; eius lingua publica fuit lingua Latina atque traditæ Romanæ institutiones sunt servatæ. Tempore Heraclii res mutantur : lingua Græca fit lingua publica et Imperium magis magisque inclinatur

Venatio leonis (argentum, V-VII sæc. ;
Londinii in Museo Britannico).

ad Orientalem mentem. Βασιλεύς (rex) est novum nomen, quo Heraclius vocatur ; subditorum tamen nomen manet οἱ Ῥωμαῖοι (Romani). Propter hanc novam singularitatem abhinc licet de Byzantino Imperio loqui, quamquam hæc locutio solum sexto decimo sæculo in usum inducta est.

Hoc capitulum claudere non licet sine nonnullis verbis de Armenia. Nihil hic dicendum est de temporibus ante conversionem christianam, quæ ineunte quarto sæculo habetur. Prædicator Gregorius Illuminator tunc regi pagano suadere valet ut Armeniam faciat primum regnum publice christianum. Eius fines late patent circa montem *Ararat* et Arsissam Paludem (Fr. *Lac de Van ;* Angl. *Lake Van*).

Inde Armenia historiam habet intricatam terribilemque ; nam sita est inter Imperium Romanum et Persicum, quæ ambo eam in dicionem suam redigere conantur. Huic accedit quod Persæ Sassanides ei mazdeismum, Romanum Imperium Orientale orthodoxiam christianam imponere volunt.

Ineunte quinto sæculo monachus Mesrop Machtots pro lingua Armeniaca alphabetum creat, quo præcipui textus religiosi in hanc linguam vertuntur ; hoc est initium amplarum litterarum Armeniacarum. Docti Armenii perambulant orbem christianum ad textus religiosos et philosophicos exquirendos et vernacule vertendos ; hoc modo servata sunt nonnulla opera magni momenti, alibi perdita.

Ecclesia Armeniaca noluit assentiri conclusionibus concilii Calchedonii (451) ; una est ex « Ecclesiis trium conciliorum », quæ solum conclusiones trium primorum conciliorum œcumenicorum probaverunt. Quamobrem sexto sæculo Ecclesia apostolica Armeniaca facta est sui iuris atque eius caput vocatum est « Catholicos ». Eius doctrina non est verus monophysismus, ubi solum agnoscitur Christi persona divina, sed miaphysismus (mia = una) a Cyrillo Alexandrino propositus, ubi agnoscitur unica natura divina Verbi Dei, sed incarnata sine commixtione neque confusione.

Armenii sua propria ecclesia, quæ cum lingua artissime coniungitur, confirmati, omnibus cladibus vexationibusque usque ad nostra tempora supervivere valuerunt. [3]

---

1. Theophylactus Simocatta : eius opus est magnus fons de Persis et Slavis. Græca lingua antiqua utitur, sparsa tamen locutionibus, quæ linguam Græcam mediævalem prænuntiant. Ultimus est chronographorum Antiquitatis. Translatio invenitur in : *Histoire de Constantinople, depuis le règne de l'ancien Justin jusqu'à la fin de l'Empire. Traduite sur les Originaux Grecs de Mr. Cousin, Président en la Cour des Monnoies. Dédiée à Monseigneur de Pompone, Secrétaire d'État.* Tome III. Suivant la copie imprimée, à Paris, chez Damien Foucault, Imprimeur et Libraire ordinaire du Roi, M. DC. LXXXV.

2. Mazdeismus, a Zoroastre reformatus, est religio monotheistica, ubi Deus vocatur *Abura Mazda* et ignis colitur ut insigne divinum. Textus sacri vocantur *Avesta.*

3. De illis temporibus lectu digni sunt hi libri : R. Grousset, *L'Empire du Levant, Histoire de la Question d'Orient,* Paris, Payot, 1949 ; M. Whitby, *The Emperor Maurice and His Historian – Theophylact Simocatta on Persian and Balkan Warfare,* Oxford, Clarendon Press, 1988 ; P. Garnsey, C. Humfress, *L'évolution du monde dans l'antiquité tardive,* Paris, La Découverte, 2004 ; C. Diehl, *Histoire de l'Empire byzantin,* Paris, Auguste Picard, 1920.

Imagines (etiam ea tegumenti) excerptæ sunt e catalogo exhibitionis a. 1993 Bruxellis factæ in Regiis Museis Artis et Historiæ : « Splendeur des Sassanides ».

VETVSTISSIMA CHILIENSIA HVCVSQVE OMNIVM

– scripsit Adolfus Etchegaray Cruz –

Ubique terrarum non sunt adhuc effossa hominum desiccata cadavera illis vetustiora quam quæ, iam ab anno 1917, cœpit in lucem afferre Max Uhle, anthropologus Germanus, cuius labor hucusque continuatur in Chilia, sicut illico videtur. Hæ reliquiæ, *Chinchorro* vocatæ, hodie inveniuntur ab *Arica* civitate usque ad locum ad orientem civitatis *Antofagasta ;* hoc spatium, quod *Chinchorro* audit, extenditur per circiter 560 chiliometra. Carbo radioactivus indicavit 5.050 annos ante Christum natum de puero reperto in *Camarones* saltu prope civitatem *Arica*. È contra, circa annum 3.200 a.Chr.n. vetustissimæ pyramides Ægyptiacæ exstructæ sunt.



Anno autem 1976 casu, ut plerumque fit his in negotiis, accidit ut alumnus archæologiæ studiorum universitatis Australis, Valdiviæ sitæ, afferret Mauritio van der Maele et Carolo Troncoso, magistris suis, crassiora mastodontum ossa, quæ ei agricolæ dedissent. Mox effossiones ibi aggrediuntur, id est, loco *Monte Verde* vocato prope civitatem *Puerto Montt* ad flumen *Maullín,* quod 2.410 chiliometris ad meridiem loci *Chinchorro* profluit. Anno sequenti Tom D. Dillehay, archæologus bene notus et recenter delectus ab illa studiorum universitate, una cum alumnis quattuor invenit plurima optimeque servata sive instrumenta lithica sive focos sive copiosas reliquias ossium, lignorum, carnium atque plantarum omnis generis, inter quas 23 ex aliis regionibus non parum dissitis oriundas. Ædis fere integræ inventæ etiam sunt partes sitque illa omnium hucusque vetustissima in utraque America.

Mox Tom D. Dillehay æstimavit se invenisse cultum civilem vere dissimilem notissimo illi, quem *Clovis* nuncupant. Studiosissima atque sedula exploratio tractu temporis detexit fere eodem loco duos floruisse cultus civiles : *Monte Verde I* et *Monte Verde II.* Res utrobique repertæ subiectæ sunt carboni 14 et, proh res inopinata !, reliquiæ e *Monte Verde I* originem possunt trahere circa annum 30.000, et eæ e *Monte Verde II* inter 12.800 et 12.300. Protinus omnibus viribus tales sententias respuerunt multi doctores.

Hinc factum est ut tandem post dies XIII disputantes consentirent, die 12 m. Ianuarii a. 1997, cultum civilem *Monte Verde* vetustiorem esse quam cultum civilem *Clovis* in America Septentrionali, qui viguit abhinc 11.000 annos. Ergo hominum transitus e Sibiria in Americam locum probabiliter habuit saltem 15.000 annis antea ; descensus ad meridiem magis lentus fuit quam plerique æstimaverant et opus est, præcipue propter cultum *Monte Verde,* Americæ occupationem fere omnino recognoscere.

Bibliographia vulgata :

B. Arriaza, « Chile's chinchorro mummies », *National Geographic,* march 1995, p. 68-69.

Rick Gore, « The most ancient americans », *National Geographic,* october 1997, p. 92-99.

Tom D. Dillehay, Cecilia Mañosa cooperante, *Monte Verde. Un asentamiento humano del pleistoceno tardío en el Sur de Chile,* Santiago, LOM ediciones, 2004, glossario, bibliographia ad recens optimisque tam graphidibus quam photographematibus instructus.

In hoc fasciculo !

De die feminæ dicato [*G. Licoppe*] *p. 1*
Venditio quædam [*G. de Maupassant - E. Palmén*] *p. 2*
De itineribus ad Americam Latinam et Æthiopiam [*S. Jansson*] *p. 5*
Nicolai Klimii iter subterraneum (II) [*H. Holberg - F. Deraedt*] *p. 10*
De Romano imperio orientali (VIII) [*G. Licoppe*] *p. 12*
Vetustissima Chiliensia hucusque omnium [*A. Etchegaray Cruz*] *p. 16*

Imago tegumenti : terrifica facies Persarum regis regum
(argentum, IV sæc., Neoeboraci in Metropolitano Museo Artium).

LATINE LOQVI...

CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE
Seattli, d. 2-8 m. Iulii 2010 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.
¶ http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales

CONVENTICVLVM LEXINTONIENSE
Lexintoniæ in America, d. 21-28 m. Iulii 2010.
¶ http://www.uky.edu/AS/Classics/aestivumlat.html

FERIÆ LATINÆ
In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 12-20 m. Iulii 2010.
¶ www.frigolet.com

MELISSÆ ITER TVNETANVM
Tunesia antiqua – Africa Romana, d. 18-25 m. Septembris 2010.
¶ http://web.me.com/fundatiomelissa > Futurum iter Tunetanum

S.A.L.V.I.
Rusticatio Virginiana, 18-24 m. Iulii, Iter Romanum, 1-8 m. Iulii 2010.
¶ http://www.latin.org

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ
Seminarium Ottiliense 5-10 m. Iulii, Trevericum 29 Aug. - 4 Sept. 2010.
¶ http://www.voxlatina.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMŒNEBVRGENSIS
Latine loqui - Romane coquere, 24-31 m. Iulii 2010.
¶ http://www.septimanalatina.org

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 $
Banque ING : 310-0644994-30,
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

MELISSA